

responsione eadem jura agnoscere renueret, ab Episcopo juridiarie quaestionis solutionem ille formiter petiit. Nec aliud quam privatam obtinuit responsionem Vicarii Generalis die 27. Julii 1862 sequentis tenoris: „Selon le droit commun les chanoines même titulaires doivent ressortir a la paroisse de leur domicile, mais que l'usage est contraire a Mons, aussi bien qua Tournay et qu'il a acquis force de loi. Cest la persuasion du clergé de Tournay, car il n'est jamais venu dans la pensée d'aucun curé de cette ville de révoquer en doute la légitimité des droits et des pouvoirs du doyen du chapitre.“ Huic autem opinioni Vicarii Generalis non acquiescens validius institit coram Episcopo pro juridica sententia super jure funerandi et consequenti emolumentorum restitutione. Assertam enim consuetudinem juris dispositioni refragantem montibus haud extare quoad Presbyteros, ut ajunt, *habitués*, missae videlicet sacrificium in aliqua ecclesia quotidie celebrare solitos cum stipendio, literis ipsius Parochi s. Elisabeth supra relatis ostendit. Praeterea cum in contrarium sibi objicerentur duo casus de cantoribus, quorum exequiae persolutae fuerunt non in parochiali eorundem ecclesia sed in ea, cujus servitio addicti erant, etiam ex hac parte objectam consuetudinem prorsus rejecit, adducto testimonio canonici *Conreur*, qui cum fuisset jam parochus Ecclesiae s. Nicolai testatus est, ideo funus cantoris cujusdam Rossignol expletum fuisse in ea ecclesia, quia Parochus domicilii praebuerat assensum, idemque etsi dubitans evenisse retulit in obitu alterius cantoris *Dubuisson*. Praemisso vero quod his in casibus facile a Parochis praestari solet consensus, cum exequiae cantorum gratis plerumque expleantur ab Ecclesia, cui serviunt, prosequatur animadvertens, quod consuetudo pro cantoribus

allisque, etsi extitisset montibus Hanoniae et Tornaci etiam pro Presbyteris *habitués*, (quamvis exemplum Presbyteri *Duwillier* a Vicario relatum contrarium demonstraret ex testimonio Parochi Tornacensis s. Margaritae affirmantis sese assensum praebuisse Parochi s. Quintini pro ducendo funere et tumulatione roganti), ea tamen observantia contra jus et in re odiosa de persona ad personam eoque minus de loco ad locum extendi non posset.“

„Elapso haec inter unius fere anni intervallo, cum juridicam super exorta controversia sententiam, iteratis etiam officis, Parochus s. Nicolai non obtinisset, Bmmo Patri preces obtulit die 4. Julii 1863 et de non reddito sibi jure conquestus petiit ut quaestio inter ipsum et Parochum s. Elisabeth orta ad juris tramites dirimeretur, allatis etiam documentis et testimoniis ad rem facientibus, ex quibus praemissam facti seriem breviter expositam collegi.“

„Communicatis cum Episcopo Parochi precibus eundem scitu necessaria cum animi sui sententia rogavi, simulque percontatus sum, quare non fuerit ab Ordinariatu prolata in forma juris sententia super enunciata controversia. Transmisit quidem Episcopus animadversiones Parochi s. Elisabeth, at siluit omnino super non prolatae sententiae causis et a quolibet animi sui sensu aperiendo penitus abstinuit.“

„Summa vero animadversionum Parochi s. Elisabeth, qui funus Presbyteri Nicodemi et funeris emolumenta sibi addixit, haec quae nunc subdam complectitur. Sententiam sequutus quorundam canonistarum affirmantium Clericos beneficiatos absque sepulturae electione decentes in Ecclesia sui beneficii fore sepeliendos ostendere nititur Presbyterum Nicodemum, nisi verum beneficiatum in sensu juris,

certe tamen beneficiatorum juribus honestatum et oneribus respective praegravatum reputandum fuisse quoad parochialem Ecclesiam s. Elisabeth, ita ut in ea debuisset sepeliri. Quod ut suadeat, praemonet, post deplorandam cladem, qua tum in Gallis tum in Belgio, tempore Gallicanae perturbationis et occupationis antiqua simplicia beneficia extincta fuerunt, nonnullas fundaciones, quarum bona adhuc alienata permanserunt, restitutas fuisse a Gubernio Fabricis ecclesiarum, ad quas olim attinebant firma adimplendorum obligatione. Et ita favore fabricae Ecclesiae s. Elisabeth peractum fuisse narrat quinque recensitis antiquis foundationibus eidem restitutis. Arguta deinde ratiocinatione animadvertit sacerdotes qui habituati dicuntur praedictis oneribus sive missarum sive divinarum officiorum adimplendis electos (qualis erat praefatus Nicodemus respectu Ecclesiae s. Elisabeth) non minus arcte ecclesiis, in quibus beneficia olim existebant, devinctos esse, quam antiqui beneficiati, licet ipsi Presbyteri proprie dicti beneficiati non sint. Ex quo arguit, quod sacerdotes habituati quantum fieri potest in parochia, cui adscripti sunt, residere teneantur nec alibi domicilium habere possint nisi de consensu eorum quorum interest vel de Ordinarii licentia (uti cum Presbytero Nicodemo peractum fuisse arbitratur); iique praeterea ex obligatione in praedictis ecclesiis divinis officiis intersint, sacramyteria celebrent et ecclesiastica Sacramenta recipiant.“

„Quae quidem omnia dum viveret praestitisse subdit sacerdotem Ecclesiae s. Elisabeth, cum ex beneficiatorum illius Ecclesiae redivisibus sustentaretur, missas pro fundatoribus ibi quotidie perlitaret et in choro divinis officiis cum reliquo Clero interesset, sub oculis et absque ulla querela Parochi s. Nicolai.“

„Merito idcirco in Ecclesia s. Elisabeth

eundem fuisse sepultum contendit ad *text. in cap. 2. cum quis de sepulturis in 6.* et allata auctoritate Ferraris, qui voc: *Sepultura* n. 71. aperte docet, Beneficiatos cum onere residendi decedentes sine electione sepulturae et sepulchro majorum carentes sepeliri debere in ecclesia beneficii vel residentiae, non vero in propria Parochia, citans hac super sententiam, quam communem appellat, innumeros auctores, quos inter Barbosam, Pirhing, Reiffenstuel; quam maxime enim decet, ut fideles in ea sepeliantur ecclesia, in qua coelesti pabulo reficiebantur; et ita juxta Apostolum sint consolationum socii, ubi fuerunt passionum.“

„Propius deinde ad speciem affert Van Espen tit. 28. de sepult. cap. 3. n. 18.“ ubi ait: „Quotidiana praxis consonat, quae respectu beneficiatorum reputat propriam ecclesiam, cui sunt per beneficium incorporati, atque in ea sepeliri volunt si commode fieri possit; tametsi forsitan in alia Parochia habitent.“

Idemque infert ex dispositione statutorum Tornacensium de anno 1761, in quibus proposito casu X.: „quis pastor habet jus ad sepulturam beneficiatorum, qui obligantur ad residentiam et in alia Parochia commorantur?“ responsum datum est: jus competere pastori Parochiae beneficii, non vero domicilii.“

Huic praeterea dispositioni conformem accedere subjungit observantiam. Licet enim non modo nec in Parochia s. Elisabeth nec in altera s. Nicolai sed in super nec in ipsa Montium civitate valeat aliud hujusmodi exemplum afferri, quod probabiliter repetendum a domicilio generatim servari solito a sacerdotibus *habituatis* in parochia illius ecclesiae, cujus servitio sint addicti; consuetudinem tamen conformem mutuatur a civitate Episcopi Tornaci, cujus meminit supra Vicarius Generalis,

eamque confirmare studet ex casibus connexis et aequiparatis in ipsa civitate Montium. Testimonio namque, quod profert, Decani et Parochi s. Waltehrutis ejusdem civitatis, ostendit cantores, sacristas et bidellos, qui laici sunt, in ecclesia cui inserviunt Sacramenta etiam in Paschate recipere sibi sepulturam habere, etsi in alia parochia domicilium habeant: „Non enim alia de causa“ ita ipse concludit „cantores et alii laici in ecclesia, cui adscribuntur, sepulturam recipiunt, nisi quia ei ecclesiae servitium praebent; porro sacerdotes habituati longe praestantius et magis continuum praebent ecclesiae suae servitium; a fortiori ergo in sua ecclesia sepulturam obtinere debent.“ Quod vero excipitur a Parocho s. Nicolai veniam in dictis casibus a parocho domicilii fuisse petitam, id tribuendum existimat actui urbanitatis mere gratioso vel ad summum necessariam esse licentiam ad cadaver exquirendum et funus ducendum intra limites alienae paroeciae. Postquam vero haec pro sui juris tuitione disseruerit Parochus s. Elisabeth, in causa, de qua agitur, exceptionem opponit rei judicatae, ita ut nequeat amplius de re disputari. Asserit enim controversiae definitionem utrinque iudicio et arbitrio Episcopi fuisse commissam: cumque per suum Vicarium Generalem Episcopus quaestionem vi consuetudinis definierit favore Parochi s. Elisabeth in eaque ecclesiae funus et sepultura Nicodemi reipsa locum habuerit, rem actam esse ait et e limine fore rejiciendum Parochi s. Nicolai recursum.

„Quia vero ex praemissa factorum historia documentis comprobata non modo de compromisso non constet, sed insuper satis pateat contrarius animus Parochi s. Nicolai saltem ex querelis, altera post Nicodemi obitum die subsecutis et petitionibus ad Epis-

copum pro juridica rei definitione, de hac exceptione nulla haberi posse ratio videtur in hac suprema iudicii sede.“

„Haec pro Parocho vero s. Nicolai ita ratiocinari licet. Juris regula generalis est Christi fideles sive Clericos decedentes absque electione sepulturae et sepulchro majorum in parochiali Ecclesia sepeliri debere, ubi officia consueverunt audire divina et ecclesiastica recipere Sacramenta, ex cap. 12. et 3. de sepult., et cap. 2. ejusd. tit. in 6., quam regulam confirmant passim auctores, quos inter *Barbosa* de offic. paroch. part. 3. cap. 27. n. 1., *Card. de Luca* de paroch. disc. 27. n. 2. et 3., *Reiffenstuel* lib. 3. decr. tit. 28. n. 13. tit. 3. tit. de sepult. n. 7. et 12. et *Ferraris* V.: sepultura n. 68. et 69. Et quamquam ex auctoribus nonnulli eam amplexati fuerint sententiam ut Clerici seu Presbyteri alicujus ecclesiae servitio addicti titulo tamen beneficii residentialis eoque perpetuo in ecclesia beneficii sepeliri debeant, cum arctius sit illis vinculum cum ecclesia, in qua residere tenentur ibique divina audiunt et Sacramenta percipiunt, quam cum parochia, ubi lares tantum habent, *Ferraris* loc. cit. n. 71. *Amost.* de caus. piis lib. 6. cap. 2. n. 16., *Frances* de Eccles. cathedr. cap. 17. n. 14., *Reiffenstuel* loc. cit. n. 14. et seq., *Schmalzgrueber* lib. 3. tit. 28. n. 47. de Jur. Eccl. lib. 2. cap. 10. n. 23. et de offic. Paroch. cap. 27. n. 37.: omnes tamen consentiunt ad hoc requiri duas praefatas condiciones, titulum videlicet beneficii residentialis eumque perpetuum. Tertiam praeterea conditionem omnino necessariam statuit ad nativum parochiae jus infringendum, maxime post Concilium Tridentinum parochiarum divisionem certis finibus praeciens tum s. *Rota* in magistrali decis. in Hydruntina sepulturae 27. Novembris cor. *Arnoldo*, tum saepissimo et con-

stanter S. H. Ordo, quod nimirum in ecclesia beneficii peculiare et distinctum adsit sepulchrum pro Canonicis aliisque beneficiatis destinatum. Id quidem praeserunt tam antiquae quam novae S. H. Ordinis resolutiones, quas inter recolere liceat praecipuas in *Narnien.* 26. Septembris 1677, in *Tyburina* 12. Maii 1685, in *Mantuana* 16. Martii 1689, in *Derthonen.* 3. Decbr. 1718 et 7. Debr. 1720, in *Avenionen.* 1. Mart. et *Verterbien.* 10. Maii 1676 et in s. *Miniatis* 24. Novembr. 1821 aliisque innumeris. Et quia compertum erat nullum adesse sepulchrum pro Canonicis Collegiatae Clavari peculiariter extractum, in *Januen.* 21. Julii 1827 s. Congregatio resolvit Canonicum decedentem extra parochiam Collegiatae sepeliendum esse in parochia domicilii. Planum igitur esse videtur quid sit in praesenti themate statuendum, cum non modo sepulchro illud separatum et distinctum haud extet sed etiam exulare videatur in Nicodemo qualitas beneficiati, cum potius ad simplex missarum officium persolvendum electus dici queat in ecclesia s. Elisabeth et quidem *amovibiliter* ad parochi et officialium fabricae voluntatem: de priorum enim legatorum (hoc enim audiunt fundationes ita dictae) satisfactione tantum agebatur.

„Ad consuetudinem vero quod attinet objectam in contrarium, controverti profecto nequit de illius valore etiam in hac funerum et tumulationum materia si rite sit introducta, praescripta atque probata, ex cap. 1. 4. 6. 15. et 18. de praescriptione, et tradit *Piringh.* h. tit. n. 22., *Reiffenstuel.* lib. 2. decr. tit. 26. n. 140., S. Congr. in una s. *Miniatis* 12. Martii 1729.

At consuetudinem alleganti onus incumbit eam concludenter probandi, ad text. in cap. 1. de praescriptione

in 6., *Barbosa* ad hoc cap. et *Schmalzgrueber* tit. 4. n. 33., quia nimirum consuetudo in facto consistit, ut ait Bonifacius VIII. in cap. 1. de constit. in 6. Cum dein agatur de jure alieno praescribendo et jus commune praescribenti resistat, ultra actuum frequentiam tempus ad praescribendum vel annorum quadraginta cum titulo vel tempus immemorabile necessarium putant passim DD. ex cap. 1. de praescript. in 6., et prae caeteris *Barbosa* et *Schmalzgrueber* loc. nuper cit., *Maschat.* lib. 2. tit. 26. §. 2. q. 6. n. 40. et §. 3. q. 1. n. 29., *Reiffenstuel* lib. 2. tit. 26. n. 121. 147. et 164., ac *Ferraris* verb.: Praescriptio n. 9. et 10., tandem quia hujusmodi consuetudo odiosa est, ut ait *Fagnan.* in cap.: *Contingat. de decim.* n. 20., *Card. de Luca* de benef. disc. 30. n. 11. et 12. et *Barbosa* ad cap. 18. de praescript. n. 4.; hinc eam esse stricti juris et tantum habere de potentia quantum habere de usu et actu, ita ut extendi nequeat de loco ad locum, de persona ad personam aut de casu ad casum, etiamsi concurrat identitas imo et majoritas rationis, sed probandum esse in specie et in individuo docent *Card. de Luca* de benef. disc. 30. n. 12. et de feud. disc. 53. n. 4. ac disc. 109. n. 20., *Schmalzgrueber* lib. 1. n. 4. tit. 18. et *Reiffenstuel* ib. n. 160. et seq.

„In specie vero super materia funerum recolenda est resolutio s. Congregationis in *Eugubina* 2. Aprilis 1729, in qua contendente capitulo Cathedralis et simul parochialis Ecclesiae jus privativum administrandi Sacramenta clericis et sacerdotibus infirmis in aliena parochia commorantibus, et perantiqua consuetudine in synodalibus statutis anni 1637, agnita insuper et confirmata, Sac. Congregatio ad dubium:

„An parochus Cathedralis Eugubii licitum subministrare Sacramenta quibuscumque Clericis et sacerdotibus infirmis et in aliis parochiis commorantibus, etiam private ad proprium parochum domiciliarium?“

Resp.: „Negative et spectare private ad parochos domiciliarios et amplius.“

„Hisce prae oculis habitis videant EE. PP. quid vel quantum objectae in contrarium consuetudini sit tribuendum, quippe quae non modo nec probata nec pacifica videatur sed dato etiam quod esset plene probata, extendenda foret de loco ad locum, pacificum est enim nullum extare Montibus exemplum, et de personarum genere ad genus diversum, de cantoribus videlicet et sacristis ad presbyteros.“

Haec quoad primum dubium. Alterius autem resolutio pendere videtur a primi resolutione. Si igitur iudicaverint EE. VV. funus et tumulationem Nicodemi spectasse ad parochum domicilii, consequenter emolumenta funeris percepta Parocho s. Nicolai forent restituenda; beneficia enim omnia occasione indebitae sepulturae recepta cum integritate esse restituenda praecipitur in cap. 6. et 10. de sepult., in cap. 1. ejusd. tit. in 6. Unanimiter consentiunt DD. et conformis itaque constans agnoscitur s. hujus Ordinis praxis; permultis enim in ejusmodi casibus una semper fuit resolutio, ut videlicet emolumenta funeris occasione percepta integre restituerentur: ceu decretum fuit, omissis aliis, in *Tudertina* 4. Jul. 1772, in *Sorana* 24. Aprilis 1773, in *Sabinen.* 18. Decembris 1734, in *Faventina* 7. Jun. 1760 et in *Viterbien.* 10. Maii 1766. Quae quidem regula adeo firmiter observata conspicitur ut in *Callien. seu Urbinaten.* Jur. tumul. diei 30. Aug.

1817, etsi quaedam bona fides et boni juris umbra concurreret in parochio dioecesis Urbinatis, qui funus et tumulationem peregerat cujusdam sui parochiani sacerdotis, qui casu obiit in parochia dioecesis Calliensis, in qua sepulchrum majorum eidem erat, minime obstante quod Parochus Urbinatensis dioecesis faventes pro se constitutiones synodales et sepulchrum appositum pro sacerdotibus in propria ecclesia haberet, coactus est emolumenta restituere parochio dioecesis Calliensis, quia s. Congr. iudicavit de bono jure parochiae, in qua extabat sepulchrum majorum. Perpendant nihilominus EE. VV., utrum in casu de quo agitur a restitutione emolumentorum excusare valeat Parochum s. Elisabeth sive opinio emissa a Vicario Generali cum asserta acquiescentia Parochi s. Nicolai, sive allegata in contrarium consuetudo.

Dantur itaque dubia:

I. *An et de cujus bono jure constet super funere et tumulatione sacerdotis Nicodemi in casu?*

Et quatenus affirmative favore Parochi s. Nicolai;

II. *An et quae emolumenta occasione funeris percepta a Parocho s. Elisabeth sint restituenda in casu?*

S. Congregatio censuit ad I.: Affirmative favore Parochi s. Nicolai; ad II.: Affirmative in omnibus.

Die 27. Augusti 1864.

(Anal. J. P. 1864 p. 860.)

46) *Taxa, quando cadavera extra propriam parochiam tumulantur.*

Ad dub.: An possint presbyteri exigere pro jure sepulturae emolumentum taxatum in conventionem 1566, quando cadavera parochianorum tumulantur in sepulturis propriis et familiaribus aut in aliena Ecclesia?

S. C. C. resp.: Affirmative quoad I. et II. partem et quoad tertiam expectetur exitus litis in S. C. Ep. et Reg.

Die 26. Jan. 1726. Montis Casini ad 14.

47) *Tempus.*

Vd.: *Sepult.* (dilatio.)

Ad dub. I.: An cadavera deferri valeant ad ecclesiam in quacumque hora diei et an de nocte absque expressa licentia Ordinarii?

II.: an Parochi sub aliqua et quacumque praetensione differre vel impedire possint, ne tempore debito cadavera ad sepeliendum deferantur? Et quatenus negative;

III.: an Parochis impediendis licitum sit heredi post expectatum triduum a morte defuncti ducere funus etiam de nocte ad Ecclesiam, in qua cadaver est sepeliendum?

S. C. C. resp. ad I.: Affirmative de die, de nocte negative nisi de licentia Ordinarii;

ad II.: Negative,

ad III.: Affirmative praeter quam de nocte ut supra.

Die 15. Mart. 1740 ad 4—6. In *Novarien.*

Cadavera defunctorum deferri possunt ad ecclesiam pro beneplacito suorum, non tamen sepeliri nisi post competens tempus.

S. C. Ep. die 20. Febr. 1601.

Ante solis ortum aut post illius occasum absque licentia Ordinarii non possunt cadavera ad sepeliendum deferri. S. Congr. Concil. in *Novarien.* 15. Mart. 1740 ad 4. dub. Et sic statuunt fere omnes Synodi dioecesanae et signanter nostra Alexandrina celebrata anno 1734 tit. de sepulturis vers.: *Ante solis ortum.* Non potest tamen Episcopus demandare sub poena

excommunicationis latae sententiae, ut cadavera ante lapsum 24 horarum ab emissionem spiritus ad ecclesiam non deferantur: S. Congr. Concil. in *Horton.* Censurarum 12. Decbr. 1705. Quamvis possit statuere, ut cadavera non sepeliantur, nisi 12 saltem horis ab emissionem spiritus, seu 24, si agatur de subitanea aut repentina morte decessis, ut statuitur in dicta Alexandrina Synodo loco cit. et passim etiam in aliis.

Quamdiu sit expectandum, ut sepulturae mandetur hominis cadaver? Nihil hac de re in jure definitum est. Caeterum constitutionibus plurium Synodorum receptum est, ut post duodecim horas sepeliatur, si mors sit ex morbo sequuta, et si repentina vel violenta, post viginti horas. Vide S. M. Benedictum XIV. de *Synod. dioecesana lib. 2. cap. 6. §. 8.* Adde etiam adnotat. ad *Synod. Fulginat. Episcopi Baptistelli cap. 23. n. 6.*

Vd.: *Visitat. de funerib.*

48) *Tertiariorum.*

Vd.: *Sepult.* (Eorum, qui in habitu etc.; Regularium etc.)

Tertiarii et Tertiariae habentes requisita a Leone X. in constitutione incip.: *Dum intra*, et alia incip.: *Nuper*, et in decreto S. Congregationis edito die 20. Decbr. 1616, si decedant non sibi electa sepultura et si in ecclesiis ordinis, cujus habitum assumpserunt, communis sepultura pro ipsis reperiat, debent in ipsa sepeliri, alias sepeliri in parochiali. Sic declaravit S. Congr. Concilii, ut ex *Novario* refert *Cardinalis Petra* n. 41. vers.: Si vero, his verbis: „Praeterea si contingat aliquos ex praedictis Tertiariis absque sepulturae electione decedere, eos sic decedentes ita demum in ecclesiis ordinis, cujus habitum assumpserunt, si in ipsis eorum sepultura communis reperiat, sin minus, in

Ecclesiis parochialibus sepeliendos esse decrevit. Nam, ut prosequitur, Eminentissimus *Petra* loco cit., uti gaudentes privilegiis regularium pars dicuntur ipsius religionis, ut dixit etiam S. Congr. Episcop. et Regular. in *Nepesina* 11. Decbr. 1615 ad quintum, et 20. Decbr. 1617. Verum cadavera non possunt deferri a domo nisi cum praesentia parochi vel hoc requisito, S. Congr. cit. in *Mutinen.* 17. Junii 1636 apud *Dian.* part. 5. tract. 6. *Miscell. resolut.* 30. et *Passerin* de statib. tom. 2. n. 246 et seq., qui n. 248. adducit epistolam per extensum. Sic *Card. Petra* loco cit. n. 41. vers.: Si vero, *Panimoll.* decis. 5. Adnot. 3. n. 47. et 48., *Sellius* in *Select. Canon.* cap. 35. n. 20., *Gavant.* in *Manual. Episcop.* verb.: Tertiarii n. 10. et 11., *Tamb.* de *Jure Abbatissar.* disp. 7. qu. 3. vers.: Tertiariae, et vers.: S. Congr. Cardinal.; *Barbosa* de offic. et potest. parochi cap. 26. n. 69., *Sperel.* tom. 1. decis. 87. n. 17; *Lavor.* var. lucubr. tit. 2. cap. 11. n. 102. et 103., *Matthaeucc.* offic. Cur. cap. 48. n. 31. et cap. 52. n. 3. §. 2. et 3. et alii.

49) Per Triduum sacr.

In secundo triduo majoris hebdomadae non possunt celebrari exequiae defunctorum et officium et preces recitentur privatim. S. R. C. 11. Aug. 1636 in *Placentina.*

In exequiis parvulorum in feria V. et VI. et Sabbato majoris hebdomadae potest omitti Gloria Patri in psalmis, qui dicuntur, pro conformitate temporis. S. Rit. Congr. 16. Jun. 1677 in *Hispal.*

Dubitatur: Quae ratio vel forma servanda sit in funeribus alicujus defuncti tam adulti quam parvuli in fer. V., VI. et Sabb. s. majoris hebdomadae? Hoc enim in ritu rom. nullatenus expressum invenitur.

S. C. resp.: Non debet alterari usus communis; alias enim omissa non fuisset regula; in psalm. tamen, qui dicuntur pro parvulis, posset omitti v. g. *Glor. P.* pro conformitate temporis. N. 2812 ad 6 die 16. Jan. 1677.

Vd.: *Sepult.* (ritus.)

50) Via ad Sepulturam.

Vd.: *Process. funebr.* (via; crux Cathedr., Colleg., ecclesiae tumul., exitus etc.)

51) Visitatio.

Vd.: *Visit. de Funerib.*

SEQUENTIA.

1) In missa de SS. Nom. Jesu.

Ad dubium Episcopi *Brugen.*: an *Sequentia* in missa de ss. Nomine Jesu dicenda vel omittenda sit in ipso festo?

S. C. resp.: Esse omittendam. N. 4049 ad 9 die 23. Junii 1736; n. 4056 ad 9 die 16. Febr. 1737.

2) In missa de Requ.

Ad dubium: Utrum in missis quotidianis sive solemnibus sive absque cantu *sequentia Dies irae* semper et dici a celebrante et cantari in choro debeat? Ratio dubitandi est, quia fert missale: *Sequentia Dies irae* ad arbitrium sacerdotis. Et quatenus negative, pro speciali gratia postulat Rmus Episcopus *Briocen.* et *Trecoren.* dispensationem super *sequentia Dies irae* cantanda ob angustiam temporis et defectum cantorum, praesertim in ecclesiis ruralibus. Rescriptum prodit:

„*Sequentiam Dies irae* semper dicendam in missis *de Requie*, quae cum unica tantum oratione decantantur, verum aliquas strophas illius Cantores praetermittere posse.“ N. 2508 ad 12; 12. Aug. 1854.

Vd.: *Orat. in missa quot. de Requ.* (Quot? decr. n. 4818 ad XI. 2.)

3) In missa de septem dolor. B. V. M.

Vd.: *Septem dolor. B. V. M.*

4) In missa de SSmo.

In missa, quae celebratur in ecclesia monialium ord. s. Francisci de *Laurizal de SSmo* omnibus fer. V., 1. vel. 2. class. non impeditis, *sequentia Lauda Sion* dici non potest. N. 4464 ad 2 die 21. Mart. 1795.

5) A quo dicenda?

Ad dub.: Utrum in Missa solemnitate tam de festo quam *de requie*, dum *sequentia* cantatur in choro, eadem submissa voce recitari debeat a solo Celebrante vel alternatim cum s. ministris?

S. eadem Congreg. respondendum censuit: „A solo Celebrante.“

Atque ita rescribere rata est et declarare. N. 5111 ad 7 die 11. Septembris 1847.

SERMO.

Vd.: *Concio; Praedicatio; de sermone ante distribut. ss. Sacram.* vd.: *ss. Sacram.* (distrib., sermo.)

SERVITIUM CHORI.

Vd.: *Chorus; officium.*

SERVUS SERVORUM.

(Titulus ss. Pontif.)

Est antiquus mos, ut nimirum electus Pontifex in principio literarum, si prius erat Episcopus consecratus, scribatur, exempli gratia, *Innocentius Episcopus, Servus etc.*, ut alias, si autem non esset consecratus, scribatur, *Innocentius electus Servus Servorum Dei.* *Innocentius* iste est Papa *Innocentius VIII.*, cui hoc Caeremoniale *Augustinus Patricius* nuncupavit, uti videre est apud *Mabillonium* tom. II.

Musei italici pag. 584, ubi legitur *dedicatoria* epistola ejusdem *Patricii* ad *Innocentium VIII.* Pontificem. Episcopi nomen reticendum esse a Pontifice nondum consecrato docent nos antiqua Romanorum Pontificum exempla ac praesertim *Benedicti Papae II.* exemplum, qui electum se appellavit initio literarum, quas ante ordinationem scripsit. Non consuevisse autem Pontifices ante consecrationem nomen suum Bullis seu Sigillis apponere notat *Spondanus* ad annum 1262 et post eum *Pagius* in *Vitis Urbani Papae IV.* n. 5., *Gregorii X.* n. 9. et *Innocentii V.* n. 1. Porro *Gregorius* ipse, dum *Viterbii* adhuc existeret, ad *Philippum Francorum Regem* literas dedit, *Viterbii IV.* Nonas *Martii*, suscepti apostolatus officii anno I., ex quibus constat, eum, antequam Romam pergeret, ut consecraretur, misisse ad laudatum *Philippum Regem Archiepiscopum corinthium*, qui validiora terrae sanctae subsidia ferre suaderet, a quo viginti quinque millium marcharum argenti ad id operis accepit, ut etiam ex aliis ad *Carolus Siciliae Regem* de eodem negotio scriptis per *Patriarcham Hierosolymitanum* hortatoriis literis intelligitur. Quales et ad *Venetos, Januenses* et alios dedit ipseque exemplum ceteris praebens, aere ecclesiastico quingentos conscripsit milites ac multos pedites tresque triremes a *Venetis* conduxit, iis transmittendis. Haec omnia egisse *Gregorium Papam X.*, antequam consecraretur, diserte exprimit *Gregorius* ipse ad memoratum *Philippum* datis literis, quarum hoc est initium: *Gregorius electus Episcopus Servus Servorum Dei etc.* Ex quo et patet, quod et inter alios observavit *Pagius* citato loco, eum ante consecrationem *Gregorium* nomen sumpsisse, licet in bullando literas *Gregorii* nomen reticuerit; sic enim epistolam claudit: „Nec mireris, quod *Bulla* non